

DISPUTATIO QUINTA

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, proponens ἀνάλογισμ
tis quarti,

Cujus positiones

Divina adjuvante gratia,

Praside

DAVIDE RVNGIO S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Vvitebergensi publico

defendet 2. Junij

M. DAVID MEZENERUS
Freibergensis,



VVITTEBERGÆ,

*Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus
Pauli Helwichij, Anno 1599.*



REVERENDIS
ATQVE CLARISSIMIS
VIRIS:

Dn. Davidi Krautvogelio, Freibergensis;

&

*Dn. M. Wolfgango Stolbergero, Anna-
bergensis*

} *Dioceseos,*

Pastoribus ac Superintendentibus dignissimis,
meritissimis, Dominis, Patronis, &
fautoribus suis deside-
ratissimis,

*Hanc Theologicam observantiam
ergò reverenter & submissè dedi-
cat atq; offert*

M. DAVID MEZENERUS
Freibergensis Misn.

Respondens.

CAPUT QUARTUM.



Obaret hoc caput cum præcedente, Cohæren-
tia.
quo Paulus insigni elogio doctrinam Evangelij
ornavit, multisq; argumentis ostendit, Ministeri-
um Novi Testamenti longè excellentius esse Mini-
sterio Mosis, quodq; in contentione præstantiæ ac gloriæ, Evan-
gelij vox de Christo Iesu, doctrinam Legis cum omnibus mira-
culis & præconijs, multis parasangis post se relinquat. Hæc
opposita sunt Pseudodoctoribus extenuantibus doctrinam E-
vangelij & Ministerium Apostolorum, & supra modum prædi-
cantibus majestatem & gloriam Legis Dei ac veteris Testa-
menti.

Ne verò magnificum hoc præconium adversarij calu-
mniis exciperent, initio hujus capituli suam quidem & aliorum
Apostolorum sincerorumq; doctorum Novi Testamenti diligen-
tiam in tradenda doctrina Evangelij & retinenda ejusdem
doctrinæ commemorat, omnem verò efficaciam ascribit divi-
næ misericordiæ.

Argumen-
tum & par-
titio.

Deindè respondet ad objectionem, qua querebant ad-
versarij, si tanta est lux hujus doctrinæ, quanta à Paulo prædi-
catur, qui fiat, quod non omnes per eam illuminentur, neq; u-
biq; omnes huic præconio assensum præbeant; veram igitur
causam tum cæcitatibus inobedientium, tum illuminationis cre-
dentium monstrat.

Tertiò, Alteram objectionem petitam à scandalo cru-
cis & calamitatum diluit, suoq; & cæterorum Apostolorum
exemplo ostendit, hoc esse Evangelij proprium, ut passionibus
glorificetur & illustretur, simulq; earundem utilitates quas-
dam admiscet.

Quartò, deniq; consolationes piorum in cruce eleganti-
bus verborum & rerum flosculis conspiciendas proponit. His
quatuor partibus *ἀναλόγη* capitis includemus.

A 2

Prima

PRIMA PARS.

Διατῆτο: Conclusionem attexit præcedenti collationi Legis & Evangelij, cujus propositio est: Magna vigilantia & patientia versamur in laboribus ministerij Apostolici: Ratio prima est, quia magna est illius dignitas: τὰυτῶν inquit διακονίῃς ἔχοντες: quibus verbis respicit ad insignia elogia Novi Testamenti præcedenti capite tradita. Secunda Ratio, quia tanti muneris dignitas nullo nostro merito contigit nobis, sed ex mera Dei misericordia 1. Tim. 1.

vitia fugienda ministro verbi.

1. Ignavia et Animi defectio.

Fidelitatem porrò ministerij sui per, certas partes diducit ac illustrat. prima est, οὐκ ἐκκακῶμεν, hoc est, non reddimur ignavi, non deficiamus, nec cedimus, fracti laboribus aut calamitatibus ministerium comitantibus. Utitur hoc verbo ἐκκακῶμεν Lucas 18. v. 1. Oportet semper orare & non deficere vel defatigari, & Paulus Gal. 6. v. 9. Eph. 3. v. 13. Significat partim animi abiectiōem in perferendis adversis, partim tardium & socordiam in bene agendo: Ab utroq; vitio se alienum esse profitetur Apostolus.

2. Turpitude

Secunda fidelitatis species vel pars est, ἀπαπαύμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνῃς, abdicamus occulta dedecoris, vel abdicamus turpitudinis velamenta, hoc est, quæcunq; homines tanquam inhonestè, avarè, libidinosè facta, latebris tegere atq; occultare solent, ea nos in universum abdicamus. Estq; hæc periphrasis vitæ, honestè & piè actæ, Et magna emphasis est vocis ἀπαπαύμεθα, qua Græci utuntur in abdicatione & exheredatione liberorum. Notaturq; hoc loco insigne odium animo conceptum adversus turpia facta, conjunctum cum proposito & quotidiano studio eadem penitus abdicandi.

3. Nequitia.

Tertia pars fidelitatis in ministerio est: μὴ περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ, hoc est, non ambulantes in nequitia. Commendatur hoc membro simplicitas, quam David Ps. 25. appellat ἡψυχὴ ὁπ. Decet enim ministrum Verbi candor & simplicitas, fugiens omnem malitiam & technas in Ministerio & tota vita, & apertè agens omnia tanquam in luce. Patet hujus membri sensus ex antithesi, videlicet, si conferas Monachorum

rum, Iesuitarum & Calvinistarum astutas practicas, technas & machinationes, quibus in provehendo dogmate suo uti solent, ut quod diu occultant conceptum virus, cothurnis & ambiguis locutionibus fallunt incautos, insinuant se varijs artibus, deniq; per indirectum promovent dogma suum, dum aliud agere videntur.

Exempla nequitia.

Quarta pars est, μηδὲ δολῶντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, non adulterantes verbum Dei, Prædicatur hoc membro studium tradendi doctrinam Ecclesiæ incorruptam & integram, sumpta à mercatoribus metaphora, merces adulterantibus, quod omnibus hæreticis est usitatissimum, quorum nemo unquam fuit, qui non errori suo aliquem colorem & prætextum ex sacro Dei sermone quæsierit.

4. Corruptela verbi Dei.

Quatuor membris præcedentibus subjungit antithesin, qua summam virtutes omnes ministro Evangelij necessarias complectitur, videlicet, studium manifestandi veritatem, & ita tractandi agendiq; omnia, ut ministri verbi totum curriculum vite, & administratio officij placeant Deo & hominibus, secundum Conscientiam, & non secundum affectus judicantibus.

THESES.

I.

DESCRIBUNTUR hoc textu tum artes & machinationes falsorum doctorum, tum insignia quædam vitia diligenter cavenda ministris Verbi, qualia sunt: ignavia, securitas, & tædium in docendo, pusillanimitas cedens afflictionibus; omne genus libidinis aut turpis lucri; astutia; nequitia; ac studium cavillandi depravandi & torquendi verbum Dei.

Catalogus viciorum ministro verbi summe cavendorum.

II.

COGITANDUM hic pio lectori est, Possitne minister verbi bona Conscientia animi sui sententiam de quibusdam capitibus Christianæ Religionis ad tempus dissimulare, & ambiguis locutionibus involvere, donec occasio se det eandem publicè propagandi?

Quæstio practica de occultatione sententiarum in verbis fidei.

A 3 Arti-

III.

An sit.

Annal.
Tom. 3. fol.
114. b.

Artificium hoc falsis doctoribus olim usitatum fuisse, ostendunt historiae. Origenes enim, ut Zonaras annotat, prima fundamenta Arrianismi posuit, sed metuens contradictiones Ecclesiarum, opiniones solis chartis illitas & silentio tectas reliquit.

IV.

κευψις
Calviniana

Nostro quoque seculo Bucerus Petro Martyri hoc consilium suggestisse legitur, ut sententiam suam de Coena Domini, ambiguis locutionibus involveret, ne auditores perspicue intelligerent, ipsum non Christi doctrinam, sed Zuinglij somnia hoc in capite doctrinae sequi. Hanc κευψις Calvinianis familiarem esse, ubique locorum testatur experientia.

V.

Confutatio.

1.
ex comparatione.

Vtrum autem haec ratio occultandi sententiam tam sit pia, ingenua, & candida, quam est astuta & ingenio arteque conficta, quaeritur: nec indiget res operosa explanatione. Si enim confessio doctrinae cuius Christiano est necessaria, unquam vel maxime ea a ministro Evangelij requiritur Matt. 10. Et ubi non sequitur confessio, ibi in corde fides nulla est, Rom. 10. Psal. 116. Ac proinde liquet, talem occultatorem esse hominem profanum, contemptorem Dei.

VI.

2. Ex praesenti textu

Præterea κευψις ista non est pars prudentiae, ut vulgo putatur, sed καυση γινωσκ & malitiae, a qua Pastor & Doctor verbi debet esse alienissimus, 2. Cor. 1. & 4.

VII.

3. Conscientia occultatorum iniqua.

Nec potest unquam conscientia ejusmodi occultatorum tranquilla esse, cum sciat se aliud loqui, quam pectore gerit conclusum. Requirit autem Apostolus in doctore Ecclesiae bonae conscientiae testimonium 2. Cor. 1.

VIII.

4. In occultatoribus nulla docendilibertas.

Nulla quoque κατηχησις in docendo uti potest, qui non audeat, quid de singulis doctrinae partibus sentiat, liberè profiteri, sed occasionem expectat opinionis suae patefaciendae, 2. Cor. 3.

Accedit



IX.

Accedit periculum, quod toti Ecclesie imminet ab eiusmodi doctore, auditores enim simpliciores dum existimant, se sincerum habere pastorem, paulatim eum diligere & fovere incipiunt, atq; interim salutari pabulo divini verbi defraudantur, & paulatim ad imbibendum virus corrupte doctrine preparantur.

5. Occultatores plus damnum dant, quam aperti hostes.

X.

Pugnat etiam $\kappa\epsilon\upsilon\psi\iota\sigma$ ista cum natura Evangelicæ doctrine, de qua Paulus inquit: Rom. 1. Non pudet me Evangelii; Cum natura Ministerii, quod luci splendenti in obscuro loco confert Christus Matt. 5: Cum mandato Christi, Matt. 10. 28. Mar. 16. Quod audivistis in angulis, prædicare in rectis,

6. $\kappa\epsilon\upsilon\psi\iota\sigma$ doctrinæ contraria est Evangelio.

7. 8. mandatum Christi.

XI.

Deniq; pugnat eadem cum natura Spiritus Sancti, qui non est spiritus tenebrarum, obscuritatum vel ambiguitatum, sed spiritus veritatis, plane & perspicue docens, quæ vera & certa sunt, & committens Deo eventum Ministerii, sicut omnium Prophetarum & Apostolorum ostendunt exempla.

9. $\kappa\epsilon\upsilon\psi\iota\sigma$ doctrinæ adversatur Spiritui S.

XII.

Quare etiam hoc artificium, quod in Calvinianis doctoribus deprehenditur, piis mentibus signum esse debet spiritus mali, a quo isti homines agitantur, ut quacunq; ratione, justa vel injusta, errores semel conceptos latius spargant.

usus huius questionis

Secunda Pars.

Quod si opertum. Splendidissima commendationi Ministerii Evangelici, tradite capite præcedenti, poterant adversarij obijcere duo scandala, doctrinam Evangelij comitantia, nimirum de plurimorum hostili contradictione & odio adversus hoc doctrine genus, & de multiplici calamitatum incursum, quo & præcones huius doctrine & asipulatores onerentur.

Objectiones contra Evangelii doctrinam

Priorem objectionem diluit Apostolus monstrata accidentis & cause fallacia: Si inquit Evangelium nostrum, cuius per se magna lux, perspicuitas & efficacia est, opertum, tectum, obscurum & exosum est, non per se illi hoc competit, sed

Solutio, 2.



sed vitio eorum accidit, qui pereunt; Vt enim credentibus est lux & lucerna ad vitam, sic pereuntibus est caligo densa, cimmerijs tenebris obscurior. Hæc prima est solutio monstrans fallaciam παρὰ τὸ σὺμβεβηκός.

2. Vera causa excæcationis.

In quibus Deus hujus seculi. Altera solutio monstrat veram causam hujus mali, non in Evangelij doctrina, sed penes impios verbi Dei contemtores quærendam: Ipsi enim sunt ἄπιστοι, hostes doctrinæ & mediorum à Deo propositorum ad æternam salutem consequendam. Atq; hæc prima est ipsorum cæcitatæ causa, altera est operatio Diaboli potenter excæcantis mentes impiorum, ne illis affulgeat illuminatio Evangelij.

Satanas quomodo vocatur Deus seculi

Satanam vocat hujus seculi Deum, tum propter extremam hominum impietatem eidem ut Deo servientium, tum ab idolomania multiplici, sacrificijs & cultibus, tum omni genere scelerum & malitiæ. Vocat autem Deum non futuri seculi aut æternitatis, Nam hæc descriptio ad solum verum Deum spectat, sed hujus seculi, hoc est, impij & ingrati mundi, cujus χῆμα præteribit, & hujus temporis, quo Deus multa longanimitate tolerat vasa iræ à Diabolo & seipsis preparata ad interitum, Rom. 9.

3. Evangelium non excæcat, quia lux

Illuminatio. Tertia solutio objectionis propositæ explicans naturam Evangelicæ doctrinæ, ex cujus consideratione elucescit, excæcationis culpam nulla ex parte eidem ascribi posse.

Summa doctrina Evangelicæ.

Est enim sua naturâ φωτισμὸς τῆς δόξης τοῦ Χριστοῦ. Christus ipse est lux vera Joh. 1. Ergo & prædicatio de Christo. In Evangelio revelatur gloria Christi, qui est imago invisibilis Dei, splendor gloriæ, & character substantiæ Patris, Col. 1. Heb. 1. Impossibile igitur est, ut in hoc doctrinæ genere tenebræ aliqua sint, obscurantes quorundam hominum intellectum.

Qui seipso prædicent.

Non enim. Confirmatio præcedentis solutionis, sumpta à præcipuo argumento Evangelicæ doctrinæ per Apostolos prædicatæ, Id est Iesus Christus Dominus. Non prædicamus nosmet ipsos, quasi in nostris meritis sanctitate aut passionibus ulla pars salutis expectanda sit Ecclesiæ, neq; sustinemus labores Ministerij

Ministerij, ad ostendendam vim ingenij, eloquentia, & prudentia, neq; in eis terrena quaerimus: Sed totius praedicationis nostrae scopus unicus est Dominus noster Iesus Christus.

Nos autem. Poterant obycere adversarij, multa tamen à Paulo de Apostolis eorumq; officio quoq; esse dicta ac scripta: Respondet Apostolus per concessionem & distinctionem: Prædicamus sanè etiam nos, sed non Dominos aut Magistros doctrinae vel Ecclesiae, sed servos vestros, & totius Ecclesiae, idq; propter Iesum Christum, cujus autoritate ad hoc sublime officium vocati sumus.

Quoniam Deus est. Doctrinae de excacatione ejusq; verae causis veris opponit antithesin de illuminatione, cujus veram causam ostendit, non in viribus ingenij aut sapientiae humanae, nationis. non in proprio studio aut cursu sitam, sed in solius Dei misericordis gratiosa operatione. Rom. 9. Deus, inquit, qui dixit de tenebris splendescere lucem, ipse illuxit in cordibus nostris.

Amplificatio operis hujus prima ab opere creationis, quod confert cum opere recreationis & instaurationis nostrae: Sicuti cum tenebrae essent super faciem abyssi, voce Dei mandantis de illuminatio prodijt lux, Gen. 1. Ita cum corda nostra penitus obducta essent tenebris ignorantiae & malitiae, idem Deus immensa bonitate illuxit nobis, instruens nos Apostolos luce agnitionis suae.

Ad φωτισμὸν: Secunda amplificatio ejusdem beneficii à fine: Ideò illuxit nobis Deus, ut nostro Ministerio illustretur & propagetur scientia gloriae Dei in facie Christi: Tertia amplificatio est à disparato: Alludit ad faciem Mosi opertam, quam gloriae Dei splendorem Iudaei intueri non poterant, cui opponit faciem Christi, in qua expressa imago Dei, & incredibilis fulgor claritatis ejus splendent, quam omnes per vocem Evangelij illuminati aperte intuentur. Habemus autem.

Quarta amplificatio ab adjuncto: Hunc thesaurum lucis & agnitionis Christi gestamus in fictilibus vasis, non tantum corporum nostrorum, sed etiam totius naturae fragilis & debilitatae per peccatum & contempta propter multiplicem deformitatem ac mortem. Fictitia facili negotio franguntur, nec magni sunt valoris in se considerata: Ita qui donum Spiritus S. & illuminationis accipit, is perinde ac si in fictili vase aurum & gemmas preciosas asservet, est aestimandus.

B

Alludit



Alludit autem etiam his verbis ad historiam Gedeonis pugnantis contra Midianitas, gestantis altera manu vas fictile, in cuius media fuit accensa lampas Iud. 7. Sicut autem is ridicula ista armatura uti apparet maximum stravit exercitum, non sua virtute, sed Dei, sic nos in tanta fragilitate naturæ humanæ, facimus operas vocationis nostræ, & quicquid eisdem efficiamus. eius laus non redit ad nos, sed ad solum Deum, per nos agentem, hoc est, quod Paulus ait, ut sublimitas virtutis, Phrasis Hebræa est, hoc est, sublimis & excellens δύναμις & efficacia Evangelij, non sit nostra sed Dei.

Armatura Gedeonis.

T H E S E S.

I.

Excæcatio **V**eras excæcationis causas recenset Apostolus hoc textu, nimirum proprii cordis malitiam monstratæ & agnitæ veritati petulanter resistentem, & potentiam Satanæ, auferentis quod ad huc reliquum est lucis in mente, eiq; offundentis errorum caliginem, ut videns non videat.

II.

Excæcatio est peccatum, causa peccati & pœna peccati. Ita excæcatio est per se peccatum atrox & aliorum peccatorum causa: Respectu Dei deserentis hominem pertinaciter veritati resistentem, sua gratia, & tradentis ac permittentis ejusdem potestati Diaboli, eadem excæcatio est pœna peccati, & executio iusti iudicij Dei adversus impios, propter antegressam illorum effrenem petulantiam.

III.

Impium & profanum dogma est, ascribere Deo causam aliquam *ἐνεργητικῶς* in efficienda cæcitate mentis impellentem vel operantem. Ita enim Deus constituitur auctor peccati, contra sententiam Pf. 5. A qua voce & mente tanquam omnis impietatis fonte etiam Ethnici abhorruisse leguntur.

IV.

Deus hujus seculi non intelligitur hoc loco, Deus aliquis.



aliquis creator, hujus mundi, sicut Manichæi & Marcionitæ finxerunt duo principia pariter æterna, bonum & malum, neq; opus est ad hoc telum avertendum, *Aug. lib. 21. contra Faust. cap. 2. Chryso. 2. ad Cor. 1. Cor. 10. Deut. 37. Psal. 106.*

V.

Illuminatio mentis non est opus humanarum virtutum, sed solius Dei, qui per verbum accendit in mentibus nostris lumen agnitionis gloriæ suæ, Phil. 2. Ioh. 1. Col. 1. Est igitur Verus & æternus Deus.

VI.

Christus est imago Dei Patris substantialis, exprimens totam Dei patris essentiam & gloriam, ideo dicitur character substantiæ Patris, Heb. 7. Col. 1. Est igitur verus & æternus Deus.

TERTIA PARS.

Facta mentione vasorum testaceorum & imbecillitatis, quæ non tantum apud vulgus Christianorum, sed etiam in ipsis eximiiis Dei servis, Apostolis nimirum aliisque excellentibus doctoribus cernitur: Digreditur ad alteram objectionem, quæ à scandalo crucis & miseriarum petebatur dissolvendam; Ejusque summa est, quod partim concedit verum esse, quod de calamitatibus erat objectum, partim verò Sicut ostendit easdem ad gloriam ministerij evangelici amplificandam plurimum conferre.

ἐν παντί δὲ λιβόμενοι: sive negotiorum, sive locorum *Apostolorum miseræ conditio in mundo.*
 spectes conditionem ubique & semper eadem nos manet fortuna, veruntamen per ipsis lucet arumnis decus doctrinæ evangelicæ, etsi enim affligimur non sumus *σενοχωσόμενοι*. Sanè Rom. 8. v. 15. & 2. Cor. 6. v. 4. fatetur Apostolus, sanctos τῆ σενοχωσία sæpe exerceri. Sed hoc loco negat, pios ita affligi ut evadere ex calamitate nulla ratione possint. Emphasis verbi significat aliquem coarctari in angustum locum, ita ut se explicare & respirare nequeat. Atque sic felicem *ἐκβασιπ* ex tentatione hac voce 1. Cor. 10. exprimit Apostolus.

B 2

Secundò



Secundò, *sumus ἀπορῶμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἀπορῶμενοι*. Prius significat in rebus perplexis hæitationem animi, posterius verò abjectionem omnis consilij & spei. Sæpe igitur, inquit, ejusmodi incidunt negocia & casus, ut quid agendum nobis sit, animi pendeamus: Interim tamen Spiritu S. nos confirmante non omninò fidem præsentia Dei, & spem læti exitus abijcimus, quocunq; tandem cadat res.

Probatio
verbi per
crucis
ignem.
Pl. 13.

Tertiò, *διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλείπομενοι*. Persecutionem, odia, contradictiones, exilia, carceres, flagella & similia adversa ferimus. Sed in his non derelinquimur auxilij omnis inopes. Atqui hoc ipsum Evangelio est gloriosum, dum his modis tanquam aurum igne probatur.

Quartò, *καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι*, hoc est, deijcitur sæpè in extremas angustias, sed in illis non perimus.

mortifica-
tio Christi
in nobis.

Quintò, *ἰδοὺ*, mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes: Hoc membro amplificat & illustrat præcedentia, dum ommissa enumeratione specierum afflictionis, exemplum ejus illustre & absolutum proponit, videlicet *ὡς ἡμεῖς τὸ ἔχριστον ἰδοὺ*. Nostræ calamitates sunt *ὡς ἡμεῖς τὸ ἔχριστον* quia *παθήματα* Christi in carne afflicti exprimunt, atq; sic nos Christo Capiti conformes reddunt, Rom. 8; tum quia ab eodem ad mortificationem Veteris Adami in nobis immittuntur. Eidem opponitur vita Christi manifestanda in corpore nostro: Vita Christi hoc loco non tantum significat eam vitam, qua Christus ipse vivit, resuscitatus ex mortuis, secundum quam etiam nos in extremo die resuscitati in æterna gloria cum ipso viaturi sumus: Sed etiam vitam, qua nos vivimus in Christo, nimirum lætitiæ & tranquillitatem animi acquiescentem in voluntate Dei, & promptè excipientem omnes fortunæ adversæ impetus. Hæc vita est quidem in renatis etiam in rebus secundis, sed non ita apparet. Cum verò exercentur calamitatibus, tum demum fit manifesta, & instar lucis fulget coram oculis Dei & veræ Ecclesiæ.

vita Christi
in nobis.

Atq; hic prior est calamitatum Ecclesiæ finis, quem Paulus hoc loco attingit, & versiculo sequente 1, per expolitionem.

672
sionem amplius declarat, videlicet, se & reliquos Christi Apo-
stolos mille periculis mortem afferentibus esse expositos, non
sua culpa, sed propter Iesum Christum, cuius agunt in munda
causam, idq; propter hunc finem, ut in carne illorum mortali,
tam multis modis excarnificata & afflicta, ut nihil in ea præ-
ter mortem ipsam reliqui judicari queat, nihilominus vita Ie-
su manifestetur.

Finis cala-
mitatis.

I.

II.
Finis.

Posterior finis calamitatum, quibus exercentur Apo-
stoli & Ecclesie ministri, spectat ad auditores, qui ex afflictio-
num, fidei, patientiæ & liberationum exemplis, quæ vident in
ministri verbi, vivificam percipiunt consolationem fideiq; con-
firmationem, sicut Psal. 34. dicitur. Iste pauper clamavit ad
Dominum, & Dominus exaudivit eum: Hoc est, quod ait Apo-
stolus, Mors quidem operatur in nobis, id est, calamitates
mortiferæ nos exercent, magnôq; impetu in nos ruunt: vita
verò operatur in vobis, dum id ad vestram cedit consola-
tionem.

THEMATA.

I.

CRUX piorum non est satisfactio pro peccatis proprijs
vel alienis, neq; est merces acquirens sibi aut alijs
peccatorum remissionem, aut pœnarum purgatorij
mitigationem, sicut impudenter fingunt Papistæ.

Contra
Papista-
rum satis-
factiones.

II.

Sed est afflictio probans illorum fidem, spem & o-
bedientiam, mortificans veterem Adamum & manife-
stam faciens vitam Christi in eis latentem.

III.

Obedientia enim Christi tam activa quam passiva
in se fuit absolutissima perfectissimaq; ad expianda o-
mnium hominum peccata, nullôq; humanarum passio-
num eget assumptione. Heb. 10. Unica oblatione consu-
mavit in æternum. 1. Ioh. 1. Sanguis Iesu Christi emun-
dat nos ab omni peccato.

8. mo. 3.

B. 3

Præte.

Nulla ho-
minum
merita.

IV.
Præterea omnium Sanctorum τὰ δὲ ἰμάτια et si plu-
rima habent Sancti Spiritus illustra documenta, accen-
dentis in cordibus consolationem & læticiam; tamen
quia vitiantur per reliquias peccati originalis hærentes
etiam in Sanctis Rom. 7. Pl. 32. Ideo merendi vim omnē
coram Deo amittunt, Sicut de Petri martyrio dicitur Ioh.
21. Ducet te alius quo non vis.

V.
Nec tantum pro æternis, sed etiam pro temporalibus
pœnis satisfecit Christus, atq; in universum pro omni eo,
quod habet pœnæ ab irato Deo immittæ rationem. Pœni-
tentibus enim τιμωρίαι fiunt δοκιμασίαι, sicut in præce-
dentibus Capitibus est declaratum.

QUARTA PARS.

Consola-
tiones.

Postrema capituli parte attexit consolationes proponendas
his, qui omnis generis calamitatibus premuntur.

Quarum prima est, præsentia & auxilium Spiritus S.
Etsi enim Sanctorum conditio foris apparet miserrima, tamen
revera sunt habitaculum Sancti Spiritus, ex cujus operatione
oritur fides & confessio, etiam in media cruce.

Probatum hoc testimonio Ps. 116. Sicut David dicit, se
credere, atq; ideo locutum & humiliatum esse, sic & nostram
fidem sequitur confessio & comitatur afflictio. Sed eadem o-
mnia sunt nobis argumentum consolationis, quia scimus nos à
Spiritu S. obsignatos esse, & promissionis certitudinem nullis
creaturarum machinis nobis eripi posse.

Rom. 8.
II.

Scientes Secunda consolatio est læta spes resurrectionis ad
æternam vitam: Eam confirmat argumento resurrectionis Chri-
sti: Unus idemq; omnium nostrum Dominus, qui & Christum
suscitavit à mortuis nos quoq; suscitabit. Nec tantum hæc
conso-

consolatio ad nos Apostolos spectat, sed etiam ad vos, Christus enim nos vobiscum constituet ejusdem glorie participes.

Omnia autem, &c. Tertia consolatio in ærumnis præsertim Apostolicis est, quod non suo quodam merito patiuntur, sed propter Ecclesiam, non ad eam redimendam à peccatis, sed ad erigendam consolatione & informandam exemplis patientiæ fidei, invocationis & constantiæ. Non debet igitur nobis crux videri adversa.

III.
Apostoli
patiuntur
propter
Ecclesiam

Vt gratia abundans, &c. Quarta consolatio est ab ultimo fine, quia ærumnis nostris amplificatur Dei gloria, dum abundans gratia ejus ad nos liberandos, multis innotescat, & à multis prædicetur ad gloriam Dei.

IIII.

Sed licet is, &c. Quinta consolatio est ab effectu afflictionum, quæ duplici utilitate beant pios: Veterem enim hominem (Sic appellatur homo noster, qui foris est, secundum quem similes adhuc sumus hominibus peccato corruptis) calamitates istæ paulatim destruunt, donec tandem per mortem penitus evertatur: Et novum hominem qui in nobis per regenerationis & reuovationis beneficium intus in corde est creatus (Psal. 51.) eadem calamitates augent, renovant, confortant de die in diem. Utrumq; beneficium pijs mentibus debet esse gratissimum, etsi non nisi magno sensu acerbitatis & doloris destructio hominis exterioris absolvitur.

V.
Homo ex-
terior.

Ideo Colophonis loco, Sextam atexit consolationem petitam à gaudijs æternæ vitæ. In qua tum rerum inter se collatio, tum singularis vocum emphasis est observanda. Confert enim inter se afflictiones hujus vitæ & gloriam alterius seculi. Illis duo assignat, το βασυτικα ελαφρορ, quorum alterum

VI.

Esa. 54. v. ad qualitatem ærumnarum spectat, videlicet ἐλαφεία, alterum
 7. Pl. 70. ad quantitatem & temporis durationem, τὸ παραυτίκx. Viden-
 v. 6. Ioh. tur quidem nobis calamitates Pauli & aliorum sanctorum fu-
 16. v. 16. Aerumnæ esse longè acerbissimæ & maximè diuturnæ, sed ipse contra fa-
 fidelium tetur, tam suas, quàm omnium credentium ærumnas hujus vitæ
 ὀλιγοχρόνους & momentaneas esse.

1.
 2.
 3.

His opponit attributa æternæ gloriæ: quam primò ap-
 pellat κατ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, hoc est, excellenter excel-
 lentem, supra modum sublimem atq; abundantem. Secundò
 αἰώνιον, Oppositum momentaneo; Tertio εἰς τὴν δόξαν,
 contrapositum τῇ ἐλαφείᾳ. Atq; ita talem instituit inter cala-
 mitates & gloriam alterius seculi proportionem, qualis est in-
 ter levissimam plumam, & longè maximum pondus plurimo-
 rum talentorum; qualis est inter momentum & æternitatem.

De voce
 operandi,
 quæ ordi-
 nem non
 meritum
 potat.

Vox κατεργάζεται, quam afflictionibus tribuit Paulus, non agit
 de merito æternæ vitæ, sed de medio ordinis, quem constituit
 Dominus salvandis, videlicet de glorificatione per crucem. Si-
 cut juvenis in studio decurrens literario, multas cogitur devo-
 rare molestias, priusquam ad eruditionem solidam perveniat;
 et tamen ipsæ molestiæ ejus non sunt meritum aut merces, quo
 paratur eruditio, sed ordinem tantum quo emergendum est.

Diversa iu-
 diciæ de af-
 flictionibus

Non contemptibus. Postremam assertionem conso-
 latoriam à calumniis adversariorum & à dubitationibus infir-
 morum fratrum, munit duplici argumento: Prius est, tale de
 afflictionibus hujus vitæ iudicium non esse omnium hominum:
 Fatetur hoc Apostolus, sed ostendit simul, quorum sit, videlicet,
 qui non spectant in curriculo Christianæ pietatis, ea quæ incur-
 runt in oculos, ut tranquillitatem vitæ, opes, honores, benevo-
 lentiam & similia, sed tantum respiciunt, quæ non videntur in
 mundo.

Posterius est oppositum dubitationibus infirmorum: Quia
 enim objecta movent sensus, poterant obycere Christiani, frustra
 se abduci à consideratione amicorum, opum, honorum, aliorum-
 què commodorum hujus vitæ, ad contemplandas res invisibi-
 les. Quid si ea nihil sint, quam meræ phantasiæ & imagina-
 tiones &

siones? Sic enim iudicant caro & mundus, dum non nisi ea credunt quæ sensibus & experientie huius vitæ sunt exposita: eos verò, qui spectant invisibilia, tanquam fatuos irrident. Et hic affectus sæpe etiam sanctos turbat: Cui opponit Apostolus gravissimam sententiam: Quæ videntur temporalia sunt, Quæ non videntur sunt æterna. Cui sententiæ utraq; vis inest, tum mundum hunc cum omnibus, quæ in eo sunt aliquando interiturum; tum Deum, Angelos, Cælum, Vitam alteram, et si non videntur, tamen non propterea esse nihil, aut res sola imaginatione conceptas, sed esse res verè existentes, & quidem non transitorias, sed æternas, ac propterea temporalibus in infinitum anteferendas.

Iudicium
mundi de
rebus
cælestibus

Theses

I.

Etsi in credentibus distincta sunt Spiritus S. dona, ut docet Apostolus 1. Cor. 12. tamen omnes uno eodemq; Spiritu promissionis sancto sunt obsignati: Habentq; omnes eandem spem propositam: Hoc ad sanctorum communionem est referendum, Eph. 4.

Commu-
nio Sancto-
rum.

II.

Etsi sola fides est medium ac causa organica iustitiæ coram Deo consequendæ: tamen simul necessaria sunt confessio, studium pietatis & bonorum operum tanquam fructus fidei, sicut dicitur Matth. 10. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor ipsum coram patre meo cælesti, Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem.

Confessio.

III.

Quia resuscitatio Christi est opus Trinitatis ad extra, ideo servato personarum ordine tribuitur omnibus personis Deitatis. Hoc sensu Pater suscitasse filium dicitur, 2. Cor. 4. Rom. 8. Et filius ipse templum corporis destructum reedificasse, animam suam posuisse & resumisse dicitur, Ioh. 2. & 10.

Resuscita-
tio Christi.

IV.

Resurrectio credentium ad spiritualem & æternam

Resuscita-
tio nostra.

C

vitam ac gloriam pendet à resurrectione Christi Capitis nostri, tanquam ab efficiente causa : Impossibile enim est, vivificato capite reliqua membra penitus morte extinguí, I. Cor. 15.

V.

*Passiones
sancto-
rum & Ec-
clesia*

Quando Sancti dicuntur pati propter Ecclesiam, id longè alio sensu dicitur, atq; cum Christus dicitur passus propter nos. Vtriusq; enim notatur objectum, sed diversimodè : Christus solus propter nos redimendos à peccato & ira Dei est passus : Apostoli & Ministri verbi patiuntur propter Ecclesiam, hoc est, quia præstant obedientiam in vocatione sua, dum propter Ecclesiam plantandam & rigandam Ministerio suo, nihil non laboris ac molestiæ in se recipiunt. Frivolum igitur est Papistarum dogma : quasi Sanctorum quoq; *παθήματα* veniant in societatem pretiosissimarum Christi passionum, quibus solis hoc deferimus laudis, quod absolverint sacrificium *ἱλαστικὸν* pro peccatis nostris.

VI.

*Homo ve-
tus seu ex-
terior.*

In renatis Scriptura duos homines nominat ac describit, non substantia differentes, sicut Manichæi & Flaciani delirarunt, sed qualitatibus distinctos : Exterior homo, quem hoc textu nominat Apostolus, alibi vocatur vetus homo, Eph 4. v. 22. Col. 3. v. 8. Et significatur hac voce natura hominis, quatenus nondum est plenè renovata, sed adhuc retinet congenitas ex Adamo sordes peccati.

VII.

In specie dicitur homo exterior, quatenus videlicet externum illud *χῆμα* vitæ in cibo, potu, somno, & reliquis affectionibus ac passionibus retinet : Hic paulatim afflictionibus ingruentibus corrumpitur, donec per mortem penitus aboleatur.

VIII.

*Homo no-
vus seu in-
terior.*

Novus homo sive interior homo dicitur eadem hominis natura, quatenus est renovata per Spiritum Sanctum, accensa in mente nova agnitionis luce, novis sanctisq; cupiditatibus ac motionibus excitatis in voluntate. Diciturq; homo interior, quia hoc Dei beneficium non incurrit in oculos, sed latet intus in cordibus nostris unde Ps. 45. omnis decor filiae Regis ab intus. Hæc

IX.

Hæc verò renovatio nequaquam uno perfecto actu absolvitur, totumq; hominem transformat, sed paulatim, prout enim Vetus homo corrumpitur, Ita simul novus homo de die in diem incrementa capit quotidiana. Ex quo apparet, hoc beneficium rectè appellari inchoatum, respectu hujus vitæ.

Renovatio hominis successiva.

X.

Quando Paulus afflictionibus hujus vitæ pollicetur æternum pondus gloriæ, non stabilit impium dogma Papisticum: quasi nostræ calamitates meritorie operentur vitam æternam, ac pro hoc dignæ sint, quibus gloria illa, quamvis maxima & sempiterna *justo judicio* tribuatur. Hoc inquam dogma pugnans cum perpetuo scripturæ consensu nullo modo astruit hoc loco Apostolus.

Afflictiones piæ non sunt meritorie.]

Ballar. lib. 5. de iust. cap. 3.

XI.

Non enim monstrat hoc loco causam vitæ æternæ meritoriam vel efficientem, sed exprimit ordinem Crucis, quo Deus suos glorificat & ostendit utilitatem calamitatum, quæ nimirum abundantissima gloria in altera vita (gratis per Christum parta) compensari debeant.

Rationes i. Ordo glorificationis per crucem.

XII.

Manifestè etiam negat Apostolus dignas esse passiones hujus seculi gloria filiorum Dei revelanda, Rom. 8. Cui assertioni directè contradicit Iesuita, dicens, afflictiones nostras æterna vita dignas esse, & non ex misericordia, aut per imputationem alienæ dignitatis, sed secundum *justum iudicium*. Hoc est Spiritui Sancto in faciem resistere.

2. Indignitas in contentione.

XIII.

Gloria æternitatis dicitur pondus immensurabile propter læticiæ & beatitudinis magnitudinem, & durationis perpetuitatem. Qualis autem in specie futura sit, id incor hominis non ascendit 1. Cor. 7. Esa. 65.

vita æterna.

Ca

Visibi

612



XIV.

Mundi in-
scritus, Visibilis hic mundus cum omnibus, quæ in eo sunt
tandem penitus glorioso Christi adventu destruetur, &
succedet illi cœlum novum & terra nova, in qua habita-
tura est iusticia, & priora non ascendent amplius in Cor,
2. Pet. 3. Apoc. 20.

Soli Deo Gloria.



Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,







DISPUTATIO QUINTA
EX EPISTOLA
PAULI AD CORINTHIOS

posteriori, proponens ἀνάλυσις capi-
tis quarti,

Cujus positiones
Divina adjuvante gratia,
Praside

DAVIDE RYNGIO S.S.
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE
in Academia Vvitebergensi publico
defendet 2. Junij

M. DAVID MEZENERUS
Freibergensis,



VVITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus
Pauli Helwichij, Anno 1599.

